



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 4. Papæ litteræ contra Ludovicum Bavarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV. Sept. an. 1323 spiritum Deo reddidit, annos viginti octo habens: ac sepultus est in veste S. Francisci apud Fratres Minores Parisinos. Sed eodem anno in Provinciam ad Franciscanos Aptæ Juliæ habitantes translatus est, ut jusserat, eo quod arx Ansesia hanc ad diœcesim spectaret. Ad tumulum ejus multa fiebant miracula: & a Papa Urbano V Sanctorum ordinibus assertus fuit an. 1369 adhuc vivente Delphina sponfa sua.

Vading.
1323. n. 40.

§. IV.

*Papæ litteræ contra Ludovicum
Bavarum.*

Rayn. 1323.
n. 30
Bzov. eod.
n. 4.

Papa Joannes veritus, ne Ludovici Bavarum rationem agendi approbare per suum silentium videretur, monitionem edidit, cujus hæc erat summa. Postquam Sedes apostolica Imperium Romanum a Græcis ad Germanos & ad Carolum Magnum transtulit, Imperatoris electio certos ad Principes pertinet: qui post mortem Henrici Luxemburgii in diversa, ut fama est, euntes suffragia, partim Ludovicum Ducem Bavarum, partim Fridericum Austriæ Ducem elegerunt. Nostrum erat rem discutere ac ferre sententiam. At Ludovicus mox Romanorum Regis titulum, quin etiam admini-

administrationem jurium Imperii sibi asseruit per gravem contemptum Romanæ Ecclesiæ, ad quam attinet Imperium vacans. Illo ex titulo juramentum fidelitatis a fiduciariis Imperii clientibus tam sacris quam profanis in Germania & quibusdam Italiæ partibus exegit, recepitque, ac de dignitatibus & muneribus Imperii pro arbitrio suo statuit, sicut his diebus suum filium natu majorem palam creavit Marchionem Brandenburgicum. Præterea se declaravit factorem defensoremque hostium Romanæ Ecclesiæ, velut Galeatii Pro-Comitis, ac ejus fratrum quanquam ex præscripto juris de hæresi damnatorum.

Idcirco nequis similia deinceps audeat, ut tueamur Ecclesiæ jura, & hunc Principem ab errore suo deducamus, his eum litteris monemus, ut tres intra menses ab administratione Imperii & a defensione hostium Ecclesiæ desistat, alioquin anathema ipso facto subiturus; mandamusque, ut omnia, quæ post assumptum Romanorum Regis titulum fecit, pro viribus suis revocet. Si non pareat, contra illum etsi absentem statuemus, quod æquitas poposcerit. Præterea prohibemus, nequis hominum in rebus ad Imperium administrandum atinentibus Ludovico Bavaro morem gerat, opemve afferat aut consilium. Et

Sæcul. XIV.
A.C. 1323.

Sæcul. XIV.
A. C. 1323. huic inhibitioni nostræ nullum fidelitatis vel aliud juramentum obstare, sed quolibet infirmatum volumus. Inobsequentes justis addicimus pœnis: ac Præsules quidem aliosque Clericos muneribus suis abstinere jubemus: urbes vero, focietates, & homines profanos, quacunque demum dignitate floreant, non modo cunctis privilegiis suis privamus, verum etiam anathemate devincimus; ac eorum terras interdicto afficimus. Dabat 9 Oct. anno 1323.

§. V.

Ludovicus reclamatur & appellatur.

Rayn. n. 33. Imperator per rumorem publicum rem edoctus ad Papam misit Albertum Hospitalarium Equitum per Germaniam Magistrum, Grustorpium Archidiaconum Virseburgensem, ac Henricum Pragensem Canonicum, qui perquirerent causas hujus monitionis, atque dilationem poscerent. Mandatum illis dabat Norimbergæ 12 Novembris. Sed cum in viam se dedissent die dominica 18 Decembris Ludovicus Norimbergæ conventum habuit: ubi coram Nicolao Episcopo Ratisbonensi, multisque Viris in dignitate positis loquebatur in hanc sententiam. Nos Ludovicus Romanorum Rex coram vobis adsumus, velut

n. 34.

Hervart.
an. 1324.
n. 34.